

# AD PYTHIA.

## AD PYTH. I.

Plura habebam ad hoc carmen notanda: quae omisi, sedulo cauens, ne in offensam incurrerem. μή βαλέτω με λίθω τραχεί φθόνος! Gedikii V. C. humanitatem bene noui; a quo si in his vel illis dissenfero, id mihi haud vnquam fraudi esse posse persuasum habeo. Ingeniose ille multa in hoc, vt in aliis carminibus, conuertit, multa egregie illustrauit. In his est viri docti disputatio de versibus primis carminis. Ex Carminib. select. p. 203. intelligo sententiam viri docti eo redire, vt χρυσία φόρμιγξ Ἀπόλλωνος iungantur. Hanc viam et ipse tentaueram. At sensit vir doctus, quod dudum senseram, καὶ sic languere; etsi adiuuet: eademque simul; multo magis: καὶ κτέανον f. κτῆμα. O aurea Apollinis lyra et simul instrumentum. In versione quidem vernacula bene haec ornauit; verum de graecis quaero. Cum igitur his aliisque contortis rationibus nil proficere me sentirem: manebam in naturali verborum ordine: χρυσία φόρμιγξ, Ἀπόλλωνος καὶ Μουσῶν κτέανον σύνδικον. dictum hoc ornate pro simplici: φόρμιγξ σύνδικος Ἀπόλλωνος καὶ Μουσῶν. Est σύνδικος, qui alterius causam agendam suscipit, defendit, patronus, hinc omnino συνήγορος, adiutor. Lyra Apollini canenti et Musis chorum in Olympo ducentibus accinit, adeoque et illum et hunc adiuuat, partes et operam suam praestat. Similiter δόνακες πιστοὶ χορευτῶν μάρτυρες P. XII, 48. In nostro et Romano sermone nulla est vox, quae aut huic aut illi vocabulo satis respondeat; lyram arbitram, sociam, amicam, dicas forte, vim vocis Graecae sentias facile, etsi assequi